

fuisse dicas indolem legis, quae peccatorem humi prosternit, ac maledictionis adnunciatione grauiter laedit. γ) Vbi quid sanae rationi, aut caelesti veritati contrarium complectuntur. Vt quando per tres panes, ab amico rogatos Luc. XI, 5. intelligas tres diuinitatis personas, vti IO. HENR. VON SEELEN in *selectorum litterariorum specimine* VI, p. 21. testatur, antiquo codici bibliorum ad illum locum adscripta legi haec verba: *bekantnisse der billichen Drevoldigkeit*. Item quum ANTONIVS, episcopus Florentinus, per pisces maris Ps. VIII, 9. Christo eiusque vicario subditos, intelligit animas in purgatorio; aut quum BENEDEPERERIVS, *comm. in Daniel. lib. V. f. 260.* per arboris, Nebucadnezari in visione oblatae, radicem illaesam, virginem Mariam designari putat, peccato Adami nullo modo contaminatam; aut quum INNOCENTIVS III. papa per duo magna luminaria, Gen. I, 16. duas dignitates denotari ait, pontificalem per solem, regalem per lunam; de quibus omnibus merito vsurpes illud poetae: *spetatum admissi risum teneatis amici*. Vnde quilibet iudicare potest, quo iure SALMERON Iesuita *comm. in II. Cor. III.* conqueratur, dicens: *argumenta nostra, ab allegoriis sumta, protestantes parui faciunt, & quibus vel hoc signo intelligitur abesse spiritum, quo medullas scripturarum penetrare possint*. Eiusmodi enim ineptas interpretationes qui scripturae *medullam* vocauerit, nae eum gustum prorsus corruptum habere oportet.

LIBER